



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Petrus Abbas. 14. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

imperandi dulcedine capta, socium regni nec filium veller sive quoddam filii vultum jam minime HENRICVS præ se ferret (austera vivendi ratio deformarat) in rogum hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolumem reddidit, pulchrius inter flammam quam purpuram splendens. Minus verò jam fidendum regno videns, in Italiam religionis causam contendit, sed mors aliò ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. *Ex Ferrar.*

*Descendamus per viam humilitatis, ponaturq; nobis primus gradus ejus, id est primus profectus, Nolite dominari: secundus, Velle subijci: Tertius, in ipsa subiectione quasi libet contumelias & injurias illatas æqua nimitè pati. S. Bern. in sct.*

## S. PETRVS ABBAS. 14. Martij.

**Q**UAM Alites beati familiares PETRO, & PETRVS vicissim illis fuerit, ex iis quæ narrabimus, perspicies. Tyro in religiosam Claræ Vallis disciplinam cum esset, obdormiscens inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratissimus PETRO monitor. Aliàs cum avocante capitis dolore è sociis ab initio è templo pararet, illa repente verba à Calli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo DEVM*, atque his oculis delinitus, facile dolorum oblitus est, perrexitque etiam ipse cœptas preces decantate, etsi inter olores illos non malè anserem se putaret. Illud amœnissimum spectaculum oculis PETRI accidit, videre, cum messis tempore laboricum suis intentus esset, Virginum Reginam MARIAM geminam alteram Mariam (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per segetes ambulare, sociisque

ciisque & laborantibus solamen addere, & fatigatis sudorem abstergere illā manu, quā, cum lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cum ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus, (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiā alterū beatā morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

*Reverà illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror est, omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne post remò quodcumque aliud delectare potest, molestum. S. Bern. in Epist.*

S. LONGINVS M. 15. Martij.

LONGINVM ajunt Centionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendenti, & tumulo condito, custodiæ causā fuit addita; Eundem lanceā latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, autori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit, tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cum facinus jam suum, ac Iudæorum videret, pectus planxisse, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisse. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumque ingens sibi conflasset, Cappadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit Iudæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit,